

I 2 W

1 6 0 5



✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul., Belg. disputaciones)


—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7





DISPUTATIO XVI.

De

POENITENTIA,

PRO SECUNDA

PORTE EXAMINIS CON-

CILII TRIDENTINI REVEREN-

DI ET EXCELLENTISS. VIRI DN.

D. MARTINI CHEMNITII.

Quatuor constans quaestionibus.

I. De necessitate & institutione Sacramenti Poenitentiae.

II. De discrimine Sacramenti poenitentiae & Baptismi.

III. De partibus & fructu Sacramenti poenitentiae.

IV. De Contritione.

Quas excutiendas.

SUB PRÆSIDIO

SALOMONIS GESNERI,

SS. THEOLOGICÆ DOCTORIS ET PROFES-

SORIS in Academia Witebergensi publici, ad

diem 2. Novemb. in Templo Arcis Electoralis

proponit

MATTHIAS ISELHORST, Bil-

veldiensis Westphalus.

WITEBERGÆ, Typis Meisnerianis Anno 1603.



AMPLISSIMIS, VIR-
TUTE, PRVDENTIA, PLVRI-
MOQVE RERVM VSU PRÆSTANTISSI-
mis Viris, Dn. CONSVLIVS & SENATO-
RIBVS Reipub. Bilveldianæ.

*Dominis, Patronis ac Mecœnatibus suis
debita semper observantia & ho-
nore colendis;*

Theologicam hanc disputationem in publi-
cum pietatis & observantiæ monumen-
tum & certissimum grati animi
Symbolum

L. M. Q.

Offert & nuncupat

MATTHIAS ISELHORST.



677.

T H E S I S I.

Anta proh dolor, natura nostra est miseria & corruptio, ut etiam sanctissimi ex carnis infirmitate in multis hinc in vitâ labantur, imò sepè etiam ex insidijs Diaboli & malitiâ carnis, in atrocissima quaq; scelera se precipitent. Quare Deus ipse, qui non delectatur morte peccatoris Ezech. 18. v. 23. & 33. v. 11. sed vult, ut omnes omnium temporum lapsi homines ad se convertantur, & veniam consequantur. Esa. 1. v. 16. Matth. 9. v. 11. instituit, ordinavit ac prescripsit certum modum ac rationem, quomodo lapsi se ad Deum rursus convertere ac pœnitentiam agere debeant, ut ex promissione divina sint certi, se Deo rursus reconciliari, ac remissionem peccatorum consequi: imò ipse Spiritu suo per verbum inchoat, efficit & operatur in lapsis ea, qua ad pœnitentiam seu conversionem requiruntur.

II.

Hanc igitur, de salutari pœnitentia, maxime omnium necessariam doctrinam, cum fœdissimis erroribus & figmentis suis conspurcarint Pontificij, ac scaturiginem, unde saluberrima remedia petere debent turbata atque irâ Dei territa conscientia, adeò depravarint, ut nihil prater venena inde emergent hominibus, instituti nostri ratio requirit, ut errorum maculis absterfis, eam pristina puritati restituamus, annotantes ea tantum, qua ratio Examini Tridentinorum Decretorum requirere videbitur. Quod ut commodius fiat, quatuor hæc capita excutienda aggrediemur. 1. Aget de necessitate & Institutione Sacramenti pœnitentia. 2. De differentia Sacramenti Baptismi & Pœnitentia. 3. De partibus & fructibus Sacramenti Pœnitentia. 4. De Contritione.

CAPUT PRIMUM

DE NECESSITATE ET INSTITUTIONE
Sacramenti Pœnitentiæ.

III.

Principio, cum Pontificij verum controversia statum, varijs
questionibus hinc illinc ab Anabaptistis & alijs phanaticis ho-
minibus disputatis, astutiâ plusquam vulpinâ, confundant ac
turbent, opera pretium erit, remotis alienis questionibus &
monstratâ nostrarum Ecclesiarum sententia, quodnam verè
inter nos & illos negotium sit, penitus indagare.

IV.

Primò igitur nostri, lapsis post baptismum contingere pos-
se remissionem peccatorum, contra blasphemum Novatiano-
rum delirium asserentes; haud obscure innuunt, labi, Fidem
& Spiritû S. excutere, gratia Dei excidere & ni per pœniten-
tiam redeant, æternum perire posse renatos, neque ulli tan-
tam in hac vita perfectionem contingere, ut peccare non pos-
sit.

V.

Extra omnem quoque dubitationis aleam, apud nostros po-
situm est, Deum in Scripturis instituisse & ordinasse certa me-
dia, ministerium scilicet verbi & Sacramentorum, per quæ la-
psis post baptismum, si convertantur, beneficium mortis Christi
ad reconciliationem & peccatorum remissionem vult applica-
re & obsignare.

VI.

Damnant proinde tum Enthusiastas, seu Euchitas, Epicu-
reos & alios, qui spreto ministerio raptus & Ecstases singulares
expectantes, contra scripturam ex suo cerebro varios & miros
gyros ac gradus reparationis nostræ comminiscuntur: tum illos
quoque, qui neglecto ordine & modo, in verbo revelato, peculiare
rationem agenda pœnitentiæ, ut Deo reconcilientur, sibi fingunt.

7. Hisce

VII.

Hiscce igitur premisissis, ad Thesin nostram probandam accessum facimus: Et primò ἔτυμον vocis pœnitentiae diligenter observandum venit, cum ob id, ab illius liberrimo in Ecclesia retento usu, nos planè abhorrere, impudentissimè Iesuita Bellarminus nugatus sit.

Bellarmino
lib. 1. de
pœnitentijs
cap. 7.

VIII.

Trahit autem vox Pœnitentia ἔτυμον seu originem suam, non à pœna & ab ea quidem pœna, quam Romanenses sacrificuli pœnitentibus indicere solent, & satisfactionis nomine indigitant, uti Iesuita, in citato loco pueriliter hallucinatur, sed omnibus attestantibus Grammaticis à pœnitent.

IX.

Iam, etsi negari non potest, pœnitere latinis idem esse ac pœnam tenere: minimè tamen consequens est, eam intelligendam esse pœnam, quam satisfactionem operis nominant Romanenses. Pœnitens enim tenetur à pœna partim aeterna illa, qua impenitentes manet; partim corporali, quâ Deus certò consilio pœnitentes etiam & fide iam reconciliatos exercere solet.

X.

Est præterea vox Pœnitentia ὁμώθυμος; quandoq; enim accipitur ὀλικῶς, & sic totam hominis pœnitentis conversionem comprehendit, ut Luc. 13. v. 3. & 15. v. 7. 10. & in hac significatione Synonyma habet conversionem & resipiscentiam: aliquando μισικῶς, & alteram pœnitentia partem, contritionem scilicet, tantum denotat, ut Mar. 1. v. 15. Luc. 24. v. 47. Act. 20. v. 21.

XI.

In priori significatione usurpatur à nobis quoque in præfenti disputatione & definitur, quod sit motus cordis à Spiritu sancto per vocem Legis & Evangelij in nobis excitatus, quo

A 3

& peccat

Et peccata, quibus temporales & aeternas pœnas promeriti sumus, serio agnoscimus, deploramus, detestamur: Et vera fide promissiones Evangelij de gratuita peccatorum remissione per & propter Christum remissione amplectimur.

XII.

Ex hac definitione liquido apparet, pœnitentiam hanc nequaquam hominis, sed Dei opus esse, qui eam operatur in homine, quem ipse convertit. Ierem. 31. v. 18. 19. Ezech. 36. v. 26. 27. 1. Cor. 6. v. 11. 2. Tim. 2. v. 26.

XIII.

Facit autem hoc non ἐπιείκως aut immediatè, sed ἐπιείκως per verbum Ierem. 23. v. 29. per quod tanquam per ὄσπασιν conversionem nostram operatur. Per verbum autem non Legis solum, sed etiam Evangelij.

XIV.

Primum enim Legis voce ceu malleo quodam ferreo, saxea hominum corda, aliàs pœnitere nescia, securat & in peccatis mortua terret, Rom. 4. v. 15. 1. Cor. 15. v. 56. conterit, Ierem. 23. v. 29. Esa 38. v. 13. mortificat, 1. Sam. 2. 6. Deinde vero Deus cor ita contritum & prostratum, doctrinâ Evangelij erigit, erectum solatur, & vera fide in Christum donat, quâ promissiones de gratuita peccatorum remissione, salute & vitâ aeterna, per & propter Christum homo amplectitur sibi que applicat. Rom. 1. v. 16. & 8. v. 1. & sequentibus & 10. v. 17. 1. Cor. 4. v. 15. 2. Cor. 3. v. 26.

XV.

Detestandum igitur Papicolarum Concilij Tridentini commentum est, qui pœnitentiam Sacramentum esse, nõ in latiore illo significato, quo rē quamlibet sacrâ & à Deo mandatâ denotat: sed in propriissima significatione, voce Sacramenti sumpta impio ore & stylo scribere non abhorrescunt. Sic enim questionem hanc definiuit Concilium Trident. Sess. 4. sub julio 3. cap. 1. Can. 1. Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse ve-

esse verè ac propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post
Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à
Christo Domino nostro institutum, anathema sit. Quam impie-
tatem suo calculo confirmat Bellarm. Ritum, inquit, recon-
ciliandi lapsos post Baptismum, qui ex pœnitentia, externis
signis prodita & verbo Absolutionis constet, Catholici verum
ac propriè dictam Sacramentum esse affirmant. Cui etiam sub-
scribit Catechismus Roman. parte 2. cap. 5. quæst. 10.

Lib. 1. de
pœnit.
cap. 2.

XVI.

Ex quibus jam manifestum evadit, non de asini umbrâ
rixam esse, sed rem omnium maximè seriâ tractari: quando
disputatur, an pœnitentia tale sit Sacramentum, sicut Ponti-
ficij tradunt. Quum enim tria ferè omnes ad Pœnitentiam
requirant, Compunctionem cordis, Confessionem oris, satisfa-
ctionem operis: simul hæc omnia ad impetrandam peccatorum
remissionem necessaria esse docent: Quia illis Sacramentum est
invisibilis gratia visibilis forma, ita ut ejus & similitudinem
gerat & causa existat. Et hæc est Diabolica Antichristi Roma-
ni de Sacramento Pœnitentia disputatio, in augustissimum
Christi meritum & satisfactionem extremè blasphema, & ve-
ra via ac rationi reconciliationis cum Deo in scripturis mon-
strata & pœnitentiæ opposita.

Ratio.

XVII.

Compunctio enim cordis, oris Confessio, operis satisfactio,
legis opera sunt: lex autem præter iram nihil operatur. Rom.
4. v. 15. 1. Cor. 15. v. 56. & æterna damnationi adjudicat
pœnitentem, adeò ut ne micam quidem solatij, vitæ & Spiri-
tus ex ea percipere queat, secundum illud Apostoli Gal. 3. v. 10.
Quotquot ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt. Evan-
gelium verò non operibus legis, sed vera fide in Christum nos
Deo reconciliari & remissionem peccatorum consequi, docet
Rom. 3. v. 24. 28. & 4. v. 5. 23. & 9. v. 30. Gal. 2. v. 16. &
3. v. 8. 24. Act. 10. v. 43. Philip. 3. v. 9. Joh. 1. v. 9.

18. Et



XVIII.

Et si Pœnitentia illa Pontificia Sacramentum esset, consequens foret etiam in Veteri Testamento Sacramentum illud pœnitentia apud fideles fuisse ac viguisse: quod tamen omnino negant Pontificij, id quod etiam affirmare absurdum foret. Nullum enim Sacramentum est utriusque Testamento V. juxta ac N. commune; sed alterutri tantum peculiare: quandoquidem Testamenta illa Sacramentis sunt divisa.

XIX.

Quid? Quod Sacramenta sunt media confirmanda fidei; ac proinde se habent ad fidem, ut instrumenta per qua illa in nobis locupletatur & confirmatur: Pœnitentia vero nec medium, nec instrumentum est fidei confirmanda, sed habet se ad fidem collata, ut totum ad suam partem: siquidem fides Pœnitentia pars est, ut in sequentibus thesibus probatum dabimus.

XX.

His denique accedit illud, quod caret Elemento visibili à Deo mandato & precepto, alioqui ad omnium Sacramentorum V. & N. Testa: constitutionem necessario. Et licet variè & mirabiliter in dando aliquo visibili & materiali Sacramenti hujus elemento, diu se torserint Papicola: dum alij ipsum hominem peccatorem, alij actiones hominis pœnitentis, Contritionem nimirum, Confessionem & satisfactionem, alij Sacerdotis vocem absolutoriam, alij peccata ipsa, elementum hujus Sacramenti constituerunt: Nullum tamen certum à Deo mandatum & preceptum Elementum hæctenus in medium proferre potuerunt.

XXI.

Et si jam ex Pontificia illa hypothese, ipse homo peccator, vel actiones hominis pœnitentis, vel vox Sacerdotis, vel ipsa peccata essent materia elementaris Sacramenti pœnitentia: & in quolibet Sacramento materia externa sive pars elementaris organum esset & medium per quod tum pars altera essentialis, celestis

cælestis nimirum & invisibilis: tum verò ipse etiam effectus
sive gratia Sacramenti fidelibus obtinet: necessario consequeretur
1. Hominem esse partem alteram *συστήλω*: Deinde
tum actionibus hominis pœnitentis, imò cum ipsis peccatis Sacra-
mentaliter esse unitam partem essentialem alteram cælestem
nimirum. 3. Hominem non amplius esse subiectum cui gratia
Sacramenti obveniat, sed potius causam efficientem illius i-
psius gratia spiritualis. 4. Peccata nostra esse medium, per
quod gratia illa spiritualis obvenire possit. Quæ singula & uni-
versa cum scripturis sacris è diametro sint opposita & vel ab-
surdissimis absurdiora, planum est, merum ac putridum fi-
gmentum esse, quicquid de Sacramento Pœnitentiæ, ejusdemq;
materia externa garrunt Romanenses.

XXII.

Verùm, ut huic suo figmento veritatis speciem aliquam, in-
ducant ac simplicioribus ita fucum faciant, locum Ioh. 20. v. 25
producunt, ac tum demum à Christo post resurrectionem id in-
stitutum esse asserunt, cum insufflans in discipulos diceret: Ac-
cipite spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur
eis: quorumcunq; retinueritis, retenta sunt.

XXIII.

Expendendum igitur est, an illa Christi sententia, hoc, quod
Pontificij volunt, expediat. Pontificij docent, potestatem illam
peccata remittendi, non in annunciatione vocis Evangelij, sed
in charactere sacerdotali fundatam esse. Concil. Trident. Sess.
4. sub Julio. 3. cap. 1. sic loquitur. Quare verissimum scili-
cet hunc illorum verborum Domini sensum, Sancta hæc Syno-
dus probans & recipiens, damnat eorum commenticias (ut ipsis
videtur) interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædi-
candi verbum Dei & Christi Evangelium annunciandi, con-
tra huiusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent. Quod
etiam Can. 2. ejusdem sess. sola anathematis interminatione
confirmat. Qualem autem potestatem Concilium Trident. in-
telligat,

B

telligat,

telligat, Costerus in Enchiridio suo cap. 11. de pœnitentia ita explicat: Christus, inquit, verbis illis Ioh. 20. v. 25. novum tribunal erexit, & N. Testamenti Sacramentum instituit, cuius minister sit sacerdos, forma verò sententia sacerdotis, quæ verbis absolutionis continetur, Sacerdotibus enim in sui consecrationem infunditur gratia spiritus S. qua divina eis potestas communicatur, Christianis omnibus, in quos jurisdictionem exercent vel ordinariam ut Episcopi, vel delegatam ut presbyteri, peccata omnia non ostendendi, aut declarandi, vel denunciandi, esse remissa, ut hæretici volunt, sed revera remittendi: non quoad penas tantum, ut quidam ajunt, sed quoad culpam.

XXIV.

Verum miserrimè sententiam illam Christi corrumpunt. Licet enim data sit, in illa sententia Christi, ministris Ecclesie potestas remittendi & retinendi peccata, quod alibi quoque scriptura affirmat ut Matth. 10. v. 1. Marc. 3. v. 14. Marc. 6. v. 7. 1. Cor. 10. & 13. Illa tamen potestas remittendi peccata, non ita intelligenda est data sacerdotibus, quasi Deus ea se abdicarit, & eam prorsus transfulerit in Sacerdotes, ita ut in Absolutione non Deus ipse, sed Sacerdos remittat peccata, ut Pontificij contendunt. Paulus enim disertè distinguit, inter potestatem & efficaciam reconciliationis, quæ Dei propria est, & inter ministerium, quod Apostolis datum est. Nam Deus est, qui mundum sibi reconciliat, 2. Corinth. 5. v. 19. & peccata remittit, Esa. 43. v. 25. non autem $\alpha\mu\epsilon\sigma$ & sed $\epsilon\mu\mu\epsilon\sigma$ & in ministerio & per ministerium verbi & Sacramentorum: Apostoli autem & legitimi ipsorum successores (sinceri Ecclesie ministri) solvere & peccata remittere dicuntur, cum pœnitentibus peccatoribus remissionem peccatorum annunciant.

XXV.

Hanc distinctionem omnium clarissimè Paulus tradit jam citato loco, inquit: Deus est qui reconciliat nos sibi per Christum,

rum, non imputans nobis peccata, Apostolis verò dedit *δυνα-*
μειν, ministerium reconciliationis. Quomodo verò hoc? Posuit,
 inquit, in nobis verbum reconciliationis. Nos igitur pro Chri-
 sto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos,
 obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Ita hac distinctio
 Deo servat & tribuit illam gloriam, qua ipsius propria est,
 quam etiam alteri non dabit Esa. 42. v. 8. Ministerio etiam
 asserit eam, quam secundum verbum Dei habet dignitatem
 & autoritatem. Et annotatione dignus est contra Pontificios,
 Augustini aphorismus, quem distinct. 4. de Consec. tradit.
 Aliud, inquit, est baptizare per ministerium, aliud bap-
 tizare per potestatem. Item, per hanc potestatem, quam Chri-
 stus solus tenuit sibi, & in neminem ministrorum transfudit,
 quanquam per ministros baptizare dignatus sit, per hanc,
 inquam, potestatem stat unitas Ecclesia. Si enim à Domi-
 no transferretur ad ministros, tot Baptisimi essent, quot mini-
 stri. Hac Augustinus.

XXVI.

Hac igitur distinctione probè observatà, ad Pontificio-
 rum nugas in promptu est responsio: De tali enim judiciario
 processu, quem Papicola fœdissimi lucri causâ excogitarunt,
 in sententia illa Christi Ioh. 20. v. 23. ne gry quidem extat,
 tantum abest, ut ibidem sit fundata. Nulla enim fit mentio e-
 numerationis peccatorũ, nec injungenda multa: imò jubentur
 Apostoli predicare, non per solutionem peccatorum, qua per no-
 stra opera fiat, sed remissionem peccatorum, propter Christi
 satisfactionem. Nos igitur interpretem sententiae hujus
αὐτοτίσιον Evangelistam Lucam sequuti, Christum non de Luc. 24.
 judiciaria potestate remittendi vel retinendi peccata, ut v. 47.
 Pontificij ogganniant: sed de tali potestate, qua per mini-
 sterium announcemente verbi fit, loquutum fuisse, indubitanter
 asserimus.

B 2 27. Christus



XXVII.

Christus enim Apostolos in officium Apostolicum restituens, unde (per fugam turpem & abnegationem) excidisse videri poterant, simul quid ipsorum officij sit eos docet: Inquiens, sicut me misit pater, sic & ego mitto vos. &c. jam vero Christus missus fuerat etiam ob eam causam in mundum, ut Evangelizaret pauperibus, sanaret contritos corde, predicaret captivis remissionem peccatorum &c. Esa. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18. Quare cum Christus id non amplius, post ascensionem suam, in terris immediate esset praestituturus, Apostolis illud officium denuo commendat.

XXVIII.

Non igitur ex illa Christi sententia Ioh. 20. deducitur & sumitur Sacramentum Pontificiae Pœnitentiae: sed contra simplicitatem verborum & contra manifestam Christi interpretationem, peregrinum commentum ingeritur & intruditur.

XXIX.

At urget Bellarm: lib. 1. de pœnit. cap. 16. Omnino, inquiens, dubitari non potest: quin Dominus, cum Apostolis, (cited loco Ioh. 20.) potestatem concesserit remittendi peccata hominibus, signo aliquo externo eam exerceri voluerit: neq. enim homines, qui corporales sunt, peccata sibi remitti intelligerent, nisi voce aut signo aliquo externo ac sensibili remitterentur. Respondeo, hæc quidem sapienter scilicet à Bellarmino dici, verum nihil omnino probare: loco enim Ioh. ne jota quidem de signis illis externis, de quibus blaterant Papicola, extat, & proinde non immerito dubitatur. Et si vel maxime hæc Sacramentum constitui deberet: non certè Pœnitentia, sed ipsum potius verbi ministerium Sacramentum appellandum foret: Quia *περί τῆς* locus hic agit de verbi ministerio, ut jam supra probatum est, & non nisi *ἡ δὲ* de Pœnitentia accipi potest. Deniq. si ratio illa Iesuitica firma esse debeat, consequens foret, in V. T. fideles intellexisse sibi remissa esse

esse

esse peccata, vel ex signo aliquo externo: vel absq. signo: si illud consequetur Patres veteris Testamenti habuisse etiam Sacramentum Pœnitentiæ: quod tamen Romanenses diuulgatiuè negant. Si hoc, ultrò & sua sponte corrui Iesuitica illa ratio.

XXX.

Cum etiam sententia illa Christi Iohan. 20. de ministerio Apostolorum sit generalis, ut complectatur etiam pœnitentiã & remissionem ante baptismum, sicut Luc. 24. in eadem historia Christus de prædicanda inter omnes gentes non baptizatas, pœnitentiã: & expressè de remissione peccatorum loquitur: non poterit hic Sacramentum Pœnitentiæ Pontificiæ probari, quippe quæ ante baptismum non est Sacramentum, nec requirit processum iudiciarium.

XXXI.

Et si potestas remittendi peccata, necessariò faceret Sacramentum pœnitentiæ: sequeretur etiam, quod Pontificij negant, in veteri Testamento Pœnitentiã fuisse Sacramentum: Fuit enim ibi potestas remittendi peccata qua usus est Nathan, in absolutione Davidis, cum ei dicit: Iehova transtulit peccatum tuum, non es moriturus.

2. Sam. 12. v. 13.

XXXII.

Sed regerit Bellarminus, Exemplum, inquiens, Prophetae Nathanis, à proposito alienum esse; ac proinde omninò ineptè sapius à Chemnitio inculcari; siquidem in veteri Testamento peccata remittendi & peccatorem absolvendi potestas non fuerit; neque Nathan aut ullus alius, ut Dei minister, peccatores absoluerit, cum nondum esset auditum illud: Quorum remisistis peccata, remittuntur & eis. Neque etiam Nathan dixit; Ego te absolvo, vel tibi peccata remitto; sed solum: Dominus transtulit peccatum tuum à te, quibus verbis significavit id, quod sibi ut Propheta diuinitus indicatum erat; non autem ipse peccatum remisit: siquidem non statim quispiam id fuisse dici potest, quod factum esse refert.

Bellarmin. lib. 1. de pœnitentiæ cap. 11.

B 3

33. Ve



*Verum nugae nugatur Bellarminus & nodum in scirpo
 querit. Christus ad Paralyticum lecto decumbentem, & mulie-
 rem peccatricem non dixit: Ego tibi remitto peccata tua: vel
 ego absolvo te à peccatis tuis: sed tantum; Remissa tibi sunt
 peccata tua. Igitur ne statuemus non ipsum Christum peccata
 illis remisisse, sed tantum annunciaſſe quid factum ſit? Fru-
 ſtra ſe ſanè, ſi hoc ita eſſet, Christus excuſaſſet & defendiſſet
 Matth. 9. v. 6. falſoq; aſſeruiſſet, ſe poteſtatem habere remis-
 tendi peccata. Vt igitur ex formula verborum Christi non re-
 cte colligitur; illum non habere poteſtatem judiciariam pecca-
 ta remittendi regiam ac propriam; ita ex formula verborum
 Nathanis non poteſt concludi, illum non habuiſſe poteſtatem
 peccata remittendi miniſterialem & divinitus conſeſſam. Et
 quid quaſo aliud eſt; Annuncio tibi Deum peccata tua ſuſtu-
 liſſe: quàm, Ego ex mandato & autoritate divina tibi reſpici-
 centi remitto peccata: vel; loco ipſius Dei te à peccatis tuis ab-
 ſolvo & liberum pronuncio? Item quid aliud eſt: Ego remitto
 tibi peccata tua: vel: Ego absolvo te: quàm ego tibi indico
 & ſignifico Deum tibi peccata tua remisſiſſe, hoc ipſo temporis
 articulo, quando ſerò te pœnituit peccatorum admiſſorum?
 Neque enim in Sacramentorum formis ſingulas ſemper ſylla-
 bas & ſingulas vuculas numerare neceſſe eſt, quaſi ſingula ſint
 de eſſentia: ſola ſententia ad eſſentiam pertinet, teſte ipſo Bel-
 larmino lib. de extrema unctiõne cap. 7.*

XXXIV.

*Neque ex Apoſtolorum doctrina & exemplis Sacramen-
 tum Pontificia pœnitentia probari poteſt. Paulus enim Act. 26.
 v. 20. recitans ſummam doctrina ſua de pœnitentia, affirmat
 ſe nihil docuiſſe extra ea, quæ Prophetæ loquuti ſunt. Petrus
 etiam Act. 20. v. 43. aſſerit, ſe illam rationem conſequenda
 remiſſionis peccatorum tradere, quæ à Prophetis teſtimonium
 habet. Conſequens igitur erit, aut in veteri Teſtamento Pro-
 phetæ*

phetas docuisse Sacramentum pœnitentiæ: aut Sacramentum
pœnitentiæ non habere fundamentum in scriptis Apostolorum:
quod utrumq; tamen agrè concedunt.

XXXV.

Toti quoq; Orthodoxæ antiquitati Sacramentum illud est
ignotum, ut exinde patet, quod primum omnium Longobar-
dus, quem Magistrum sententiarum nominant, ex pœnitentiæ
fecit Sacramentum, nec ullus ante ejus ætatem pœnitentiæ
Sacramentum appellavit.

XXXVI.

Concludimus igitur: Pœnitentiæ Pontificiæ Sacramentum
neq; in Prophetarum neq; in Apostolorum scriptis fundatum, neq;
Patrum Orthodoxorum consensu approbatum: tanquam purum
ac putridum Antichristi Romani commentum turpissimi lucræ
causâ in Ecclesiam introductum esse.

CAPUT SECUNDUM DE DISCRIMINE SACRAMENTI Pœnitentiæ & Baptismi.

XXXVII.

Quæstione igitur prima pertractata, ad secundam, quæ est
de discrimine Sacramenti pœnitentiæ & Baptismi, discutienda
accessum facimus.

XXXVIII.

Docent Ecclesiæ nostræ, pœnitentiæ non ipsum Baptismum
sed quiddam à Baptismo esse diversum; reditum nimirum ad
promissionem gratiæ Baptismi; non quidem ut iterum bapti-
zemur, sed ut ad illam gratiam, ex qua per peccata excidera-
mus, per fidem in pœnitentiæ redeamus.

XXXIX.

Hoc autem solo discrimine, Dei miseratione clementes Con-
cilij Tridentini Patres, non acquiescentes, monstruosum aliud
inter Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ finxerunt. In
Baptis-

Baptismo scilicet, devari gratuitam reconciliationem & remissionem peccatorum, sine nostris operibus, propter meritum & satisfactionem Christi, iis qui pœnitentiam agunt & credunt Evangelio. In lapsibus vero post baptismum, pœnitentiam impetrare veniam, non fide, gratis & sine operibus: sed per & propter opera Pœnitentia. Atq; ideo Absolutionem in pœnitentia, non esse administrationem & exhibitionem gratuiti beneficij reconciliationis, propter meritum Christi, sicut in Baptismo, sed esse iudicium, in quo facta collatione peccatorum, & laboris pœnitentia, imposita etiam insuper certa muleta ad recompensationem, hoc respectu pœnitenti promittatur reconciliatio cum Deo.

XL.

Gregor. de
Valentia
Tom. 4.
Comment.
Theologi-
cor. disp. 7.
quæst. 1.

Propterea Baptismum fracta navis primam tabulam appellarunt, cuius vis & efficacia duntaxat in tenera infantis ætate duret: & per peccata, quæ post baptismum committuntur prorsus amittatur & irrita fiat, ut in vera pœnitentia, fides ad eam reverti & redire nullo modo & nullo unquam tempore possit: sed jam circumspicienda sit alia tabula, nostra scilicet operationis, in contritione, confessione & satisfactione, cuius virtute ex peccatorum undis enatemus & ad portum Salutis vehamur.

XLI.

Sed figmenta hæc sunt, ex fatidis illis Scholasticorum lacunis pctita, quæ vel manifesta suâ impietate ultro corruunt. Et ubi quaso delirij hujus vel jota minimum in scripturis se offeri? Divus certè Petrus Baptismum comparat, non tabula alicui fracta navis: sed integra & firmissima navi, arca videlicet Noe, 1. Pet. 3. v. 20. eundemq; Baptismum nominat *συνθήκη* & *ἀγαθή ἐπιθήκη* bonæ conscientia firmam stipulationem & perpetuum fœdus, ad quod lapsis redire liceat, per veram fidem & Baptismi meditationem. Paulus quoq; efficaciam Baptismi non ad unicum illud momentum quo baptisamur, restringit: sed ad omnia tempora, præsens, præteritum & futurum extendit in credentibus Tit. 3. v. 5. inquit: Salvos nos fecit



701.
fecit per lavacrum regenerationis. Præterea, si Jonathan, sicut
David & alij p̄ V. T. ex circumcissione gratiam & favorem
Dei jam adulti sibi & piè & minimè dubiè fuerunt polliciti:
num fortè deterioris eris conditionis Baptismus? absit: quin
imò tale fædus cum Deo initur in Baptismo, quæ vis durat,
per omnem ætatem ad extremum usq; vitæ halitum. Nititur
enim illud non nostris viribus aut qualitate: sed promissione
Dei, quæ est certa, firma & ἀμεταμέλητος.

CAPVT QVARTVM. DE PARTIBVS ET FRVCTV pœnitentiæ.

XLII.

Partes Pœnitentiæ συστατικαί, propria & essentielles duæ
sunt, Contritio nimirum seu terrores incussi conscientia, agnito
peccato, & fides, promissiones Evangelij proprias apprehendens.

XLIII.

Διχοτομία hac probatur: 1. Quia duo duntaxat sunt gene-
ra doctrinae Christianæ, per quæ Deus Pœnitentiæ prædicat
& operatur? Lex nimirum & Evangelium: Quæ duo genera
non eodem modo ad constituendam pœnitentiæ concurrunt,
sed qualibet earum peculiarem suam vim ad unum ἀποτέλεσμα
conficiendum, confert. Lex enim homini convertendo incurrit
dolorem de admissis peccatis: quem Ecclesia Contritionem, vel
secundum 1. Sam. 2. v. 6. mortificationem appellitare solet:
Unde prima pœnitentiæ pars emergit, nempe Contritio. Dein-
de verò Evangelium hominem lege jam contritum, per fidem
in Christum erigit, solatur ac vivificat, unde altera pars, nem-
pe fides.

XLIV.

Secundò: Quia Christus & Apostoli hæcæ duas tantum
partes hominibus convertendis inculcarunt: ut Matth. 11. v.
28. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego vos
reficiam. Vbi per laborem contritio, nec non pavores ac terrores

C

mortis

mortis intelligi debent, per venire verò credere. Item Marc. 1. v. 15. Agite pœnitentiam & credite Evangelio, Luc. 24. v. 47. Ita oportuit prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum, sic Act. 2. v. 38. & 20. v. 21. & alibi passim.

XLV.

Tertiò probatur ex praxi, quã in convertendis & in viam renovandis lapsis Deus ipse observare voluit. Adam certe horribiliter lapsus iniuriã à Deo terretur fulmine legis, sed mox erigitur voce Evangelij, addita promissione gratia de semine mulieris contrituro caput serpentis Gen. 3. v. 15. Sic David 2. Reg. 12. Mulier peccatrix Luc. 7. v. 37. & alij voce legis cõtriti, Evangelij voce dulcissima se erigunt.

XLVI.

Huic autem vera sententia Patres Concilij Tridentini sese opposcentes, anathematis fulmine percutere illos non dubitant, qui terrores illos conscientia incussos & fidem ex Evangelio & absolute conceptam, partes pœnitentia constituunt.

XLVII.

Et terrores quidem à Deo, voce legis conscientia incussos, idèò nolunt esse partem pœnitentia: quia contritionem volunt esse dolorem voluntarie pro peccatis, tanquã vindictam assumptum, qui hoc opere promeretur misericordia Dei, sicut proximum capitulum accuratius explicabit.

XLVIII.

Fidem verò quare & quo sensu ex Pœnitentia, quarentem remissionem peccatorum, excludant & proscribant, opera pretium est observare. Cum tamen S. holastici doceant fidem esse radicem ac fundamentum, undè oriatur Pœnitentia. Et in 4. cap. Concil. Tridentinum dicit, Contritionem debere cum fiducia divinae misericordiae conjunctam esse. Num igitur in eo tantum controversia consistit, quod Pontificij dicunt, fidem esse fundamentum Pœnitentia: nostri verò docent esse partem? Certè si utrinq; consensio esset, fidem in pœnitentia esse necessariam, ad consequendam remissionem peccatorum, non esset idèò turbanda Ecclesia, si alius fidem fundamentum, alius partem pœnitentia appellaret, nam quidem majus sit, aliquid esse fundamentum, quam partem.

49. An.

XLIX.

Animum verò quæso bone Lector adverte. Tertium capitulum simpliciter nominat fidem, quam à partibus pœnitentiæ excludit. Quartus verò Canon explicat & declarat, qualem fidem Pontificij in sua Pœnitentiâ nolunt ferre, quæ scilicet ex voce Evangelij & absolutionis concipitur, & quâ Pœnitens credit, sibi per & propter Christum remitti & remissa esse peccata. Quando igitur dicunt, fidem fundamentum esse Pœnitentiæ, intelligunt talem persuasionem, si actiones illas Pœnitentiæ, à Pontificijs præscriptas, quis susceperit & præstiterit, quod illis actionibus impetret veniam peccatorum & reconcilietur Deo.

L.

Quæ sanè sententiâ in misericordiam Dei & sacrosanctum Christi meritum summè est blasphemia & contumeliosa: Dum enim Canon 4. anathemate damnat eos, qui docent, fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, quâ quis credit sibi remissa esse peccata, necessariam esse Pœnitentiæ partem, ad consequendam remissionem peccatorum: Fidem ex Evangelio tollit ejusdemq; (Evangelij) vocem propriam, sicut à Prophetis, Christo ipso & Apostolis tradita est, damnat. Quotiescunq; enim Propheta, Christus & Apostoli, de ratione agenda pœnitentiæ & consequenda remissionis peccatorum, loquuntur, fidem & Christum fide apprehensum includunt, ut Gen. 15. v. 6. Ioh. 17. v. 3. Marc. 1. v. 15. Act. 10. v. 43. Act. 26. v. 18. Luc. 24. v. 47. Act. 20. v. 21.

LI.

Quam impiam & blasphemam opinionem etiam Bellarminus defendere blasphemè annititur: Et cum Marc. 1. v. 15. Pœnitentiâ agite & credite Evangelio, & Act. 20. v. 21. Fides in Christum à pœnitentiâ distinguatur, fidem pœnitentiæ partem esse, cum contribulibus suis negat. Verùm respondemus, errorem illum ex equivocatione vocabuli Pœnitentiæ oriri: Interdum enim vox Pœnitentiæ ὀλικῶς, interdum μεγικῶς accipitur, ut supra demonstratum est. In allegatis autem

Bellar. lib. 1. de pœnit. cap. 19.

Δ 2

μεγικῶς



magis, pro sola prima parte accipi, vel inde probamus, quod utrobique fides in Christum ^{αὐτὸ ἰσχυρῶς} pœnitentia adjungitur. Inscite proinde argumentatur Iesuita ex eo, quod de partibus seorsim consideratis verum esse potest, ad naturam totius compositi.

LII.

Deinde ita insurgit: Fides Pœnitentiam præcedit eamque gignit: Ergo pars pœnitentia non est. Antecedens probat 1. Exemplo Ninivitarum Ion. 3. v. 5. Crediderunt Ninivite in Deum, & prædicaverunt jejunium & induiti sunt saccis. 2. Ratione, quia, inquit, intelligi non potest, quod serio aliquis Pœnitentiam agere incipiat, nisi prius credat vera esse, qua Deus dum peccatoribus comminatur, tum pœnitentibus pollicetur. Respondeo, 1. Antecedens simpliciter falsum esse, si loquatur de pœnitentia eorum, qui gratiâ Dei exciderunt & jam sunt convertendi; de qua inter nos & Romanenses proprie controversatur. Neque enim fides præcedit salutarem illorum pœnitentiam, sed simul cum ea existit tempore. Consequens eadem prorsus falsitate laborat, uti enim non sequitur, anima & corpus gignunt, hoc est, constituunt hominem: Ergo ejus partes non sunt, utrumque enim est verum: Ita quoque fides pœnitentiam gignit seu constituit, ejusque pars est. Exemplum verò Ninivitarum quod attinet, ne tantillum quidem juvat Iesuitam, ostenditur enim ibi in genere duntaxat, quæ fuerint publica exercitia & signa externa veræ Pœnitentiæ Ninivitarum: quæ tamen signa ipse Spiritus S. fidei in Deum expressè ascribit; inquit enim, Crediderunt Ninivite in Deum, postea prædicaverunt, hoc est, proclamari curarunt jejunium publicum &c. Tandem, ratio quam affert Iesuita, loquitur de fide historica & generali, quæ non absolvit Pœnitentiam: & propterea nihil concludit.

LIII.

Relinquitur ergo inconcussam à Iesuitarum irritis conatibus, fidem promissiones Dei apprehendentem, salutaris pœnitentiæ essentiam ingredi, ejusdemque partem propriam esse: Quippe
quæ

705.
qua conversionem nostram absolvit & perfectam reddit, tum
enim primò quis verè convertus dicitur, cū in Christum credere
incipit; qua remissionem peccatorū impetrat, Act. 10. v. 4; ve-
ram pacem in conscientijs contritorū efficit Rom. 5. v. 1. ac de-
niq; veram à falsa, salutarem ab inutili pœnitentia distinguit,
Hebr. 11.

LIV.

Iam audiamus, quas ipsi partes pœnitentia assignent, quæ
ad remissionem peccatorum, sine fide illa necessaria & sufficien-
tes sint. Contritionem numerant, Confessionem, & Satisfactio-
nem. Partes hæ, cū sint Sacramenti Pœnitentia etiam ele-
menta, visibiles esse debent: igitur per contritionem, non in-
ternus animi dolor, sed signa externa contritionis accipienda
sunt. Et per Confessionem, non ea quæ Deo, sed quæ fit proprio
Sacerdoti per enumerationem omnium delictorum significatur.
Et per satisfactionem, non interius emendationis propositum,
sed externa opera satisfactionis injuncta à confessionario, intel-
ligenda sunt. At signa externa contritionis & enumeratione spe-
cialem omnium delictorū Sacerdoti faciendam, ad remissionem
peccatorū necessariò exigì, nulla scriptura docet: per satisfactio-
nis verò opera, ipsi Pontificij intelligunt, opera indebita, hoc est,
verbo Dei non mandata: Ergo habent partes pœnitentia sine
scriptura.

LV.

Deindè: Pontificia Pœnitentia Sacramenti partes nun-
quam simul sunt, imò ne simul quidem esse possunt: quod con-
tra naturam omnium est Sacramentorum: cujuscunque enim
veri Sacramenti partes substantiales ubi sunt, semper simul
sunt; neque alia post aliam ita succedit, ut illa evanuerit.
Antecedens probatur; quia contritio aliquo temporis inter-
vallo confessionem, confessio absolutionem, absolutio denique
satisfactionem præcedit. Quia autem pœnitentis confessio, quam
externum symbolum dicit esse Bellarminus, nihil aliud est,
quam enumeratio peccatorum voce corporali pronunciata, quis
non videt illam jam tum, quando absolutio pronunciatur,

prorsus evanuisse ac interijisse, ac ita nunquam simul esse cum
absolutione. Mirum equidem & monstruosum Sacramentum,
quod nunquã secundum omnes suas partes substantiales, ut sunt
contritio cordis, confessio oris, absolutio corporali Sacerdotis vo-
ce pronunciata, & satisfactio operis, perfectum existere potest,
tantum abest, ut actu perfectum existat. Accedente enim abso-
lutione Sacerdotis vocali, jam evanuit ac interijt confessio oris.
Et nullum amplius utriusq; apparet vestigium, quando satisfa-
ctio operis expeditur atque completur.

LVI.

Tales quoque Pontificia pœnitentia partes, hypocrita etiã
simulare & prestare possunt. Et tamen illis tribuunt remissionem
peccatorum, cum interea fidem ex Evangelio conceptam, quã
quis credit sibi per Christum peccata esse remissa, sub Anathe-
mate in pœnitentia damnent: Iudas verò fide illa destitutus,
cum partes Pontificia pœnitentia haberet, contritionem scili-
cet, confessionem & satisfactionem, laqueo tamen se suspendit.
Tanta scilicet in illis partibus pœnitentia est consolatio, exclusa
fide in Christum.

LVII.

Et profectò audax impietas & impia audacia est, vim &
efficaciam reconciliationis cum Deo & remissionis peccatorum
humanis operibus, seu actibus in pœnitentia jam enumeratis
attribuere: & quod majus est, humanis istius operibus contri-
tionis, confessionis & satisfactionis, divinitatem quandam asscri-
bere: quod certè ab ipsis fit, quando ex tribus istis operibus Sa-
cramentum fabricant.

LVIII.

Deniq; ipsam absolutionem planè evertit Pontificium hoc
Sacramentum. Non enim permittit Evangelicam esse, sed red-
dit eam merè legalem. Non enim gratis, fide, sine nostris operi-
bus, propter meritum Christi impertitur, sed sub conditione
actuum, contritionis, confessionis, & satisfactionis. Quia verò

nemo

707.

nemo certus esse potest, an actiones illas in debito gradu habeat: semper conscientia dubia & incerta manet de reconciliatione. Imò, si ex operibus est justificatio, hoc est, remissio peccatorum, exinanita est fides, & abolita est promissio Rom. 4. Et qui ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt, Gal. 3. Vera igitur carnisfina conscientiarum est Sacramentum Pontificis penitentia. Et hac de partibus & fructibus.

CAPUT QVARTUM DE CONTRITIONE.

LIX.

Omninò in ijs, qui veram ac seriam penitentiam agunt, necessaria est contritio: Qua prior nostra penitentia pars vocatur, & est nihil aliud, quàm verus ac serius dolor cordis & pavor conscientia, quo homo peccator sensu ira Dei adversus peccatum seriò ingemiscit, & se peccasse dolet, suamq; impietatem agnoscit, detestatur & damnat.

LX.

Pertinet autem ad hanc contritionem. 1. Agnitio peccati, quàm mens peccatoris ex iudicio legis intelligit, agnoscit, & seriò considerat multiplicem immundiciem, magnitudinem & abominationem peccati, Psal. 51. v. 4. 2. Agnitio ira Dei, quàm agnoscit se propter peccata irretitam teneri nexibus ira & iudicij Dei, ad aeternam condemnationem. 3. Timor, terror & pavor ira DEI adversus peccata, qui oritur in conscientia ex agnitione peccati & ira Dei. 4. Dolor conscientia, qui ex timore & pavore promanat. 5. Detestatio & abominatio peccati, quam dolor excitat, & urget conscientiam, ut cogitet & quarat, cur & quomodo effugere possit iram Dei & iudicium damnationis, sicut Baptista inquit: Ioh. 3. v. 7. Quis submonstravit vobis fugere à ventura ira?

LXI.

Verum, ne contritio illa penitenti sit exitiosa, fides accedat
oporsea

oportet, fiducia, inquam, misericordie divina in Christo promissa, quâ animus anxius & consternatus erigitur & confirmatur, ut superatis doloribus, in Christi merito acquiescat: quae quidem fiducia ad salutarem pœnitentiam adeo est necessaria, ut absq; hac omnis contritio non solum ociosa sit, sed etiam expeditum iter ad desperationem, & hac discernit inter Pœnitentiam Saulis & Davidis, Iudæ & Petri.

LXII.

Est autem vera Contritio non virium nostrarum, sed ipsius Spiritus sancti opus, qui malleo legis corda eorum, qui ad agnitionem peccatorum adduci debent, ferit & contundit. Deus enim est, qui dat pœnitentiam & ex Diaboli laqueis quibus irretiti tenentur, ad resipiscentiam recolligit homines: sic docente Apostolo, 2. Tim. 2. 25. & 26.

LXIII.

Necessaria igitur est Contritio, nō autem meritum est, cuius vel quantitate vel qualitate fiat, ut remissionē peccatorū potiamur: siquidem hoc uni ac soli merito Christi debetur. Neque enim ea unquam in hac vita ita sufficiens & perfectā est, ut vel peccatorum atrocitatem, vel iræ divinæ, quæ infinita est, magnitudinem assequi, nedum adæquare, recompensare aut tollere valeat.

LXIV.

Requiritur proindē Contritio in vera ac salutarī pœnitentia, non ut causa conversionis, qua remissionem peccati mereamur: sed partim ut nostram indignitatem agnoscentes, in conspectu Dei humiliemur; partim ut obedientiam Deo prestemus, qui vult nos agnitis peccatis expavescere: partim deniq; ut beneficia Christi, propter quæ in gratiam recipimur, pluris facere discamus.

LXV.

Quare toto peccore abominamur Pontificiorum contritionem, qui licet nobiscum contritionem affirmare videantur, nihil tamen ferè præter nudum nomē nobiscum commune habent.

Nam 1.

709.

Nam 1. contritionem seriam, sive veram peccatorum agnitio-
nem liberi arbitrij, sive virium naturalium opus esse statuunt.
Compendium Theologiae lib. 6. cap. 24.

LXVI.

Nos verò, corda hominum ratione natura sua, extra Spiri-
tus sancti gratiam considerata, à Deo aversa Gen. 6. v. 5. ob-
stinata Rom. 2. v. 5. lapidea Ezech. 11. v. 19. & 36. v. 26.
adamantina Zach. 7. v. 12. denique ad omne malum proclivis
& prona esse, credimus: adeò ut ne velle quidem homo ex se-
se possit agere pœnitentiam, nedum ulla ex parte eam vel inci-
pere vel perficere; sed Spiritus sancti opus esse, qui per ver-
bum legis predicatum, auditum & cogitatum, veram illam
Contritionem excitat, inchoat & perficit Jerem. 31. v. 18. 19.
Ezech. 36. v. 26.

LXVII.

Secundò, contritionem suam Pontificij meritoriam faciunt,
& tantam esse posse contendunt, ut non solum culpa, sed etiam
tota pœna propter eam dimittatur, & conferatur gloria. Com-
pend. Theologiae Pontificiae lib. 6. cap. 24. Thomas, sicut pec-
catum per consensum voluntatis consummatur, ita per dissen-
sum deletur & remittitur. Et addit Baptismum in virtute me-
riti Christi, habere virtutem ad delenda peccata: In contri-
tione verò ad remissionem peccatorum, cum Christi merito re-
quiri etiam actum displicentiae peccati, qui sit meritorius. Con-
cil. Trid. sess. 4. cap. 4. Fuit autem quovis tempore ad impe-
trandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessa-
rius. Huic quoque impietati Bellarminus quoque subscribit,
lib. 1. de pœnit. cap. 6. Catholici, inquiens, communi consen-
su docent, contritionem causam esse remissionis peccatorum.

LXVIII.

Quo sanè dogmate, vix quicquam contumeliosius & in
Christi augustissimum meritum magis blasphemum dici cogi-
tarive potest: adimit enim reconciliationem cum Deo & re-

D

missio-

missionem peccatorū, gratuita misericordia Dei & merito Christi & transfert illam in merita nostrorū operū, & idē dicitur contra omnem scripturam.

LXIX.

Hujus enim testimonio, non nostri dolores, sed solius Christi dolor, passio & meritum compensat nostra peccata, aufert culpam, tollit poenam & confert gratiam: secundum sanctissimam illam attestationem Servatoris, exclamantis: Ego sum qui deleo iniquitates propter me & peccatorum tuorum non recordabor Esa. 43. v. 25. Item juxta alia testimonia serē infinita Esa. 53. v. 4. 5. Matth. 1. v. 21. & 11. v. 28. & 20. v. 28. Ioh. 1. v. 30. Act. 4. v. 12. & 10. v. 43. & 13. v. 38. Rom. 3. à versiculo 19. ad 27. usq. Rom. 5. v. 1. & sequentibus. 1. Cor. 6. v. 11. Gal. 1. v. 4. 1. Ioh. 1. v. 7. Apoc. 1. v. 5.

LXX.

Sed inquis: Tamen Tridentinum capitulum, contritioni conjungit fiduciam divina misericordia, & votum absolutionis, & Scholastici addunt meritum Christi: verba sane audio, sed video, quomodo illa Pontificij intelligant: Pœnitentem scilicet debere de divina misericordia concipere talem fiduciam, si voluntariē ex dilectione Dei assumat dolorem pro peccatis & habeat propositum, se velle Sacerdoti enumerare omnia peccata & obediēter exequi satisfactiones, quas Sacerdos injuncturus sit, fore ut his motibus & actibus impetret veniam peccatorum & reconcilietur Deo. Quam sententiam, cum doctrinam Evangelij prorsus evertat, tanquam blasphemam & impiam ex pomerijs Ecclesiarum nostrarum rejicimus, rejectam cum autoribus suis ad orcum relegamus.

LXXI.

Tertiò, Contritionem hanc aliquando perfectam esse somniant, hominemq. Deo reconciliari, priusquam Sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur, Concil Trident. sess. 4. c. 4. Cui subscribit Costerus in Enchiridio cap. 11. de pœnit. Scholasticè

lastici sufficientem nominant contritionem. Nos verò è sacræ literis melius edocti, talem sufficientem & perfectam contritionem cadere in hanc vitam negamus: Delicta enim quis intelligit? Psal. 19. v. 13. Quis novit potestatem iræ Dei? quis metuit furorem ejus? Psal. 90. v. 11. Impossibilis igitur est sufficientia & perfectio contritionis. Et si ex Contritionis nostra vel quantitate vel qualitate de remissione peccatorum, judicandum foret: semper dubia & incerta maneret conscientia nostra, quippe qua nunquam potest certa esse de sufficientia & perfectione contritionis. Quare crescere quidem illam in serijs pœnitentijs exercitijs agnoscimus, sed ængos suum hinc attingere inficiamur: caret enim sufficientia & perfectionis gloria Luc. 17. v. 10. Rom. 3. v. 23. Proficiscitur etiam à persona, qua peccatis indies polluitur: Imò plerumque graviores sunt dolores de peccatis admissis in illis hœminibus, qui per desperationem ad æternum exitium abripiuntur: quàm in electis, uti exemplo Caini & Iudæ manifestum evadit.

LXXII.

Tandem, Contritionem etiam imperfectam sive attritionem, qua vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, esse bonam atque utilem ad remissionem peccatorum & justificationem obtinendam, nugatorie fabulantur. Concil. Trid. sess. 4. c. 4. Bellarmin. lib. 2. de pœnit. cap. 6. Contritio, inquit, saltem imperfecta, quam attritionem nominant, omnino necessaria est in adultis, necessitate medijs ad remissionem peccatorum & justificationem obtinendam. Item lib. 2. de pœnit. cap. 7. Et Costerus in Enchirid. cap. 11.

LXXIII.

Quod figmentum, ut horrendum & expressè in scripturis improbatum, ita in meritum Christi sufficientissimum summè est blasphemum, ut thesi 69. satis superq. est ostensum.

LXXIV.

*Et hæc, de quatuor propositis questionibus breviter attingisse sufficiant: Cætera, quæ contra hanc veram nostram sententiam, à Bellarmino ejusq; contri-
bulibus opponuntur, in ipso disputationis cursu, juvante Deo, plenius excutientur. Deo
vino & uni, fonti omnis boni, sit laus, gloria & honos, quòd im-
mensa sua misericordia, ex cimmerijs tenebris Antichristi Ro-
mani, ejusq; servitute plusquam Ægyptiaca nos liberatos, pri-
stine libertati ac luci restituit, idem faciat ut in debita gra-
titudinis rumpatione, magis magisque ob peccata nostra afflicti-
mur dolore, qui secundum Deum est: inq; novitate vite
ambulantes, fructus pœnitentiæ dignos
edamus. Amen.*



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




DA>OC

Retro

VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

685.
39



TIO XVI.
e
TENTIA.
CVND A
AMINIS CON-
TINI REVEREN-
NTISS. VIRI DN.
CHEMNITII.

ms quæstionibus.
ione Sacramenti Pœnitentia.
nti pœnitentia & Baptismi.
Sacramenti pœnitentia.
cutiendas.

RÆSIDIO
GESNERI,
CTORIS ET PROFES-
Vitebergensi publici, ad
Templo Aicis Electoralis
onit
SELHORST, Bil-
Westphalus.
Meifnerianis Anno 1603.

